This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

ML 88.57

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT

MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST

MDCCCC

GIFT OF JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE

SPICILEGIUM HYMNOLOGICUM

CONTINENS

I. HYMNOS VETERES INEDITOS ET EDITORUM LECTIONIS VARIETATEM

II. HYMNORUM VETERUM QUI APUD EVANGELICOS IN LINGUAM GERMANICAM VERSI USU VENERUNT DELECTUM

COLLEGIT

A. F. C. VILMAR

THEOL. P. P. O. MARBURGENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

SUMPTIBUS N. G. ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI.

MDCCCLVII.

ML 88.57

Harvard College Library
Kraft Collection
Gift of John Harvey Treat
Feb. 26, 1900.

I. Canticorum antiquorum spicilegium.

Librorum manu scriptorum parvulae collectioni quam mihi comparavi, tribus annis et quod excurrit abhinc accessit libellus satis nitidus dono mihi datus ab amico suavissimo *Rudolfo Busch* Francobergensi, V. D. M., scholarum inspectore optime merito, cuius liberalitatem et animum erga me benevolum grata mente colo. Liber est *missalis*, quam dicunt, membranaceus, Seculo XIV fere medio maximam partem scriptus, forma minima (alt. 4″ 5‴, lat. 3″ 2‴), foliorum CCCV, quorum quidem tria (fol. 1. 2. 3.) dudum perierunt, ut CCCII supersint. Dolendum etiam, foliorum XCIX, C, CI, CII, CVI, CVII, CVIII, CIX, CX, CXI aut partes aut particulas esse erosas. Scriptio elegans est ut verborum ita et notarum musicarum, quae per totum librum verbis adscriptae sunt, et accurata, mendis satis diligenter purgata. A folio CCLXXXIII verso usque ad folium CCCII versum quae folia primi scribae calamus non tetigerat, duo vel tres librarii Seculi XV cantiones cum signis sonorum foliis vacuis mandaverunt, et tertius sive quartus scriptor ultimo folio (CCCV) cantionem cum notis musicis inscripsit. Folia CCCIII et CCCIV habent indicem primi librarii Seculi XIV.

Continet hic libellus *quinquaginta* cantiones sacras: hymnos, cantica, antiphonas, prosas, maximam partem aut jam dudum editas, aut novissimis temporibus a viris doctissimis, *Hermanno Adalberto Daniel**) et *Francisco Josepho Mone***), divulgatas. Sunt tamen inter cantiones libelli mei nonnullae, quas neque in Danielis nec Monii libris reperio. Ceterarum plurimae praebent lectiones, quamvis paucas, quae memoratu haud indignae videntur.

Neque abhorret a meo munere, et opus non ingratum hymnologis futurum spero, et cantiones illas (tribus exceptis et minoribus et villoribus) et has lectionis varietates hoc loco recensere. Ordine eas prosequar, quo in libello meo missali collocatae sunt.

---

*) Thesaurus hymnologicus. V Voll. 1841—1856.

**) Lateinische Hymnen des Mittelalters. III Voll. 1853—1855.

1. Hymnus de adventu Domini.

1. Benedictus es domine, dominus patrum nostrorum,
   Et laudabilis et gloriosus in secula.
2. Et benedictum nomen gloriae tuae, quod est sanctum,
   Et laudabile et gloriosum in secula.
3. Benedictus es in templo sancto gloriae tuae,
   Et laudabilis et gloriosus in secula.
4. Benedictus es super thronum sanctum regni tui,
   Et laudabilis et gloriosus in secula.
5. Benedictus es super sceptrum divinitatis tuae,
   Et laudabilis et gloriosus in secula.
6. Benedictus es qui sedes super cherubim intuens abyssos,
   Et laudabilis et gloriosus in secula.
7. Benedictus es qui ambulas super pennas ventorum,
   Et laudabilis et gloriosus in secula.
8. Benedicant te omnes angeli et sancti tui,
   Et laudent te et glorificent in secula.
9. Benedicant te coeli, terra, mare et omnia quae in eis sunt.
10. Gloria patri et filio et spiritui sancto,
    et laus et honor, potestas et imperium in secula seculorum. Amen.

[Sicut erat in principio et nunc et semper et in secula.
Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph.
Qui sedes super Cherubim, appare coram Effraim, Beniamin et Manasse.
Excita domine potentiam tuam et veni ut salvos facias nos.]

Hunc hymnum libellus noster tribuit diei dominicae adventus Christi tertiae; superscriptum est ei: *ymnus*, et legitur fol. Xr.—XIr.

2. Venantii Fortunati hymnus:

Pange lingua gloriosi proelium certaminis.

Legitur hic hymnus et pulcherrimus et notissimus fol. CIIIr. usque ad fol. CVr. Antecedunt autem eum haec: *Tunc disco operta cruce sacerdotes alta voce dicant**) Pependit venite adoremus. Beati immaculati. *Tunc praelatus primum et post illum dyaconi et subdyaconi adorent crucem, demum alii ordine suo. Interim canitur* Crucem tuam adoramus

*) i. e. canant, apposita enim sunt verbis sequentibus sigla sonorum.

domine et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus; ecce enim propter crucem venit gaudium universo mundo. Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis;
nulla silva talem profert fronde flore germine:
dulce lignum dulces clavos dulce pondus sustinens. *Sequitur ymnus*". Et subjungitur statim Pange lingua rel.

In calce singularum stropharum hymni repetitur Crux fidelis rel., in hymni tenore ipso autem haec stropha non legitur.

Ceterum versu primo strophae secundae scriptum legitur *fraude facta*; in strophae sextae versu secundo pro *natus ad hoc*, quod vulgo legitur, libellus noster habet verba: *jam pro nobis*, et versu tertio *crucis* pro *cruce*, ut multi alii libri. Strophae septimae versus secundus habet *Sacrum caput*, pro *mite corpus* vulgatae lectionis; stropha octava (crux fidelis rel.) deest, ut modo dictum. Cetera hymni verba eadem sunt, quae praebet editio *Danielis* I, 163—164, eadem etiam clausula glorificans.

3. De nativitate Mariae virginis Sequentia.

1. Laetabundus exultet fidelis chorus.
Alleluia.
2. Regem regum intacte profudit thorus:
res miranda.
3. Angelus consilii natus est de virgine,
sol de stella.
4. Sol occasum nesciens, stella semper rutilans,
semper clara.
5. Sicut sidus radium profert, virgo filium
pari forma.
6. Neque sidus radio neque mater filio
fit corrupta.
7. Cedrus alta Libani conformatur ysopo
valle nostra.
8. Verbum ens altissimi corporari passum est
carne sumta.
9. Isaias cecinit, synagoga meminit, nunquam tamen desinit
esse coeca.
10. Si non suis vatibus credat vel gentilibus sibyllinis versibus,
haec praedicta:

11. Infelix propera, crede vel vetera; cur damnaberis
gens misera?
12. Quem docet litera natum considera; ipsum genuit
puerpera.

Similis est haec sequentia ei, quam e Codice Sarisburiensi Nealius communicaverat Danieli, hic autem typis exprimendam curavit in Thesauro hymnologico V, 215. Prior pars nostrae non inepta videtur imitatio sequentiae Sarisburiensis, imo praestantior; pars posterior admodum exilis et Sarisburiensi nullo modo comparanda. Errat autem Nealius aut ejus liber Sarisburiensis manifeste, si hanc sequentiam festo dedicationis assignatam esse vult. In nostro etiam libello, quo sequentia nostra legitur fol. CCXXI r. usque ad fol. CCXXII r., paulo ante legitur officium in dedicatione, sed sequitur hoc officium a fol. CCXIX „Mariae virginis nativitas sanctae" (h. e. conceptio Mariae virginis a. d. VI. Id. Decembr.), et huius diei festi officium excipitur fol. CCXXII r. a cantico de nativitate Domini. Suspicari igitur licet, in Codice Sarisburiensi excidisse huius sequentiae inscriptionem, qua Conceptioni Virginis assignetur.

Ceterum parti posteriori nostrae sequentiae, inde a verbis *Neque sidus radio* superscripta sunt alia verba, ut hoc canticum festo alius cuiusvis sancti vel sanctae adaptari possit:

Huic de cruce virgini virgo mater filii
est commissa.
Fervens vicit oleum, constans ad ridiculum
risit flagra.
Propter evangelium subiit exilium,
ferrum, vincla.
Virus fidens sorbuit, hoc extinctus eruit, vir vita reflorult
et matrona.
Aurum hic de frondibus, gemmas de silicibus, fractas de fragminibus
fecit firmas.
Hunc vocans visitat Christus et hic intrat vivus foveam,
petit aethra.
Nunc te Christe nostra vox rogat et vota, ipsi socia
nos per secla.

Huius sequentiae similitudinem aliquam praebet laus S. Barbarae apud Monium III, 220, no. 832, ut hanc laudem imitationem nostrae sequentiae esse crediderim.

4. De nativitate Domini ad summam missam Sequentia:

Ecce jam votiva festa recurrunt.

Haec sequentia (fol. CCXXII r. — fol. CCXXIII r.) in Danielis thesauro legitur V, 175—176 in Nativitate Domini tertiae missae adsignata secundum Nealii relationem, Missali Leodiensi a. 1513 desumtam; in libris gallicis festo circumcisionis tribuitur (Dan. thes. 2, 174); male.

Noster libellus habet v. 1. *recurrunt* pro redierunt. v. 2. *addat se vox nostra* p. addat et se nostra vox, quam Nealii coniecturam Daniel recepit. v. 4. *vitae hujus* p. huius vitae. v. 6. *Pax in terra homines teneat.* v. 8. *altera* p. aurea. v. 13. *fit gravida virgo.* v. 14. *clausa est reserata.* v. 16. pro Amen praebet noster liber *Alleluia.*

Hoc canticum inter ea memoratu haud indigna cantica est numerandum, quae Virgilii eclogae IV ut vaticinii in Christum serio mentionem faciunt.

5. Adami de S. Victore canticum de Sancto Stephano:
Heri mundus exultavit.

In meo libello fol. CCXXIII v. — CCXXVI r.; apud Danielem II, 64 sq. V, 176. Varietas lectionis haec est: Str. 4, 1 *Agoniza* pro Agonista. 7, 6 *in praemia* p. ad praemia. 8, 6 *voce clama libera.* 9, 1—2 *Te commenda salvatori pro quo dulce ducis mori,* id quod magis convenire videtur προσωποποιΐᾳ, in qua huc usque canticum versatum erat, quam tertiae personae usus. 10, 2 *his* pro iis, ita ut metro consulatur.

6. Sequentia de Innocentibus:
Celsa pueri concrepent melodia.

Vide *Danielis* Thesaurum V, 177—178 et II, 173. In libello meo fol. CCXXVI r. — CCXXVIII r. legitur hoc canticum, paucis locis aliam, atque apud Danielem reperitur, lectionem praebens: v. 2. *Pia* pro Eia, et *colentes* pro canentes. v. 6. ipsius cuncta et per confinia. v. 12. *Cum* pro Dum. v. 13. *priorum* pro puerorum; nostro „priorum“ non quatuor, sed tres notae musicae tributae sunt, ita ut Nealii conjectura „puerorum“ minime necessaria videatur, etsi verum sit, hanc sequentiam ad metrum cantici *Spiritus sancti assit nobis gratia* compositam esse, hujusque clausulam decimam tertiam viginti trium esse syllabarum. v. 15. *effudit* pro effundit, male. v. 19. *fuderunt quae.* v. 21. *Parvorum* pro Parvulorum. v. 22. *in obviam* pro obviam. *captat* pro captant.

7. Hermanni Contracti sequentia in Ascensione:
Rex omnipotens die hodierna.

Bis legitur hoc canticum in libro meo; manu enim seculi XIV scriptum fol. CCXXVI r. — CCXXVIII r. et ita scriptum, ut sequentiae de Innocentibus: *Celsa pueri* et verba et melodiam sequatur, omissis iis locis, ubi numerus syllabarum hujus carminis superet numerum syllabarum, quem habet Hermanni sequentia, i. e. unicuique ordini notarum musicarum duae sunt subscriptae lineae verborum, altera ad sequentiam de Innocentibus, altera ad sequentiam in

Ascensione pertinentium. Repetitam hanc cantionem legimus fol. CCXCVI r. — CCXCVIII r. manu Seculi XV exaratam; quae scriptio repetita uno tantum loco differt ab antiquiore; melodia fere eadem est adjecta utrique scripto.

Quae duo exemplaria hanc lectionis varietatem praebent haud spernendam, cujus pars etiam legitur in iis libris, e quibus Daniel nostram sequentiam hausit, typis expressam in Thesauro V, 66—67.

v. 8. *baptizare cunctas animas.* v. 9. Sancti Spiritus. v. 10. et mea exemplaria cum omnibus libris scribunt: *Hierosolymis* pro Nealii Hierosolyma. v. 12. *in terris.* v. 13. Hierusalem *et* Judaea. v. 15. *eum* pro illum. v. 16. veste *clara* pro alba. v. 19. Exemplar Seculi XV habet *commissi* pro commissa. v. 20. O Deus mare polum arva. v. 21. *traxit* pro duxit. v. 22. redemisti *Deo* pro Deus. v. 23. *Illuc* pro illum, idque optime; *primus* pro prius. v. 25. *dum* pro cum. v. 26. sempiternam requiem. v. 28. *cantemus* pro canimus.

8. Notkeri Sequentia de nativitate Domini:

Eia recolamus laudibus piis digna.

Haec sequentia, apud *Danielem* II, 3—4, in meo libello bis legitur fol. CCXXVIII r. — CCXXIX r., a scriba seculi XIV exarata, et fol. CCC r. — CCCII v. a manu seculi XV scripta. Non differt utrumque exemplar verborum usu et ordine ab ea forma, qua Daniel sequentiam typis excudendam curavit, praeterquam quod v. 3 habet *interit nebula*, quam lectionem praebent plurimi libri typis expressi, codices a Daniele inspecti non praebuerunt, et v. 8 *hac* die pro *hoc*.

9. Notkeri Sequentia in epiphania Domini:

Festa Christi omnis christianitas celebret.

Vide *Danielis* Thesaurum II, 9—10; apud nos fol. CCXXIX v. — CCXXXI r.; habet Noster verba, a Daniele typis expressa; *praecepit* v. 8 pro *praecipit* haud dubie error est scribae.

10. Carmen paschale:

Fulgens praeclara rutilat.

1. Fulgens praeclara rutilat per orbem hodie dies, in qua Christi lucida narrantur ovantis proelia
2. De hoste superbo, quem Jesus triumphatur pulchre, castra illius perimens teterrima.
3. Infelix culpa Evae, qua caruimus omnes vita.
4. Felix proles Mariae, qua epulamur modo una.

5. Benedicta sit celsa regina illa,
6. Generans regem spoliantem tartara,
7. (*Cantores*) Pollentem jam in aethera.
8. (*Chorus*) Rex in aeternum suscipe benignus praeconia nostra sedule tibi canentia.
9. (*Cantores*) Patris sedens ad dexteram,
10. (*Chorus*) Victor ubique morte superata atque triumphata polorum possidens gaudia.
11. O magna, o celsa, o pulchra clementia Christi melliflua, o alma,
12. Laus tibi honorque ac virtus, qui nostram antiquam levasti sarcinam.
13. Roseo cruore agni benignissimi emta florida micat haec aula,
14. Potenti virtute, nostra qui lavit facinora, tribuens dona fulgida.
15. Stupens valde in memet, jam miror hodierna
16. Tanta indignus pandere nobis sacramenta.
17. Stirpe davitica ortus de tribu Juda leo potens surrexit in gloria, agnus visus est intra.
18. Fundans olim arva regna petens supera, justis reddens praemia in seculis digniter ovantia.
19. Dic impie zabule, quid valet nunc fraus tua?
20. Igneis nexa loris axi victoria.
21. Tribus linguae ammiramini; quis audivit talia miracula,
22. Ut mors mortem sic superaret, rei perciperent talem gloriam?
23. Judaea incredula, cur manes adhuc inverecunda?
24. Perspice christicolas qualiter laeti cantant inclyta
25. (*Cantores*) Redemtori carmina.
26. (*Chorus*) Ergo pie rex Christe nobis dans precamina, solve nexorum vincula.
27. (*Cantores*) Electorum agmina
28. Fac tecum resurgere ad beatam gloriam, digna rependens merita.
29. Paracliti sancti consolationem piam
30. Exspectamus secundum promissionem tuam.
31. Post acta ascensionis sancta solemnia,
32. Qua es regressus in coelum nube tectus clara,
33. Pollens laude aeterna,
34. Regnans per secula cuncta.

Haec prosa memoratur in Danielis Thesauro II, 71. V, 61, nec tamen typis redditur. Est in nostro libello fol. CCXXXI r. — fol. CCXXXIV r. Versus 15 et 16 mendosi videntur esse, aegre sanandi. Sed carmen omne non apertum est ad intelligendum, ordo rerum et sententiarum non conservatus, sermo non profluens, vix latinus.

11. In pascha Domini sequentia:
Mane prima sabbati.

De hoc carmine adi *Danielis* thesaurum II, 255. V, 60 et *Monii* librum I, 224 sq. In libello meo legitur fol. CCXXXIV r. — CCXXXV v., ejusque stropha tertia est, ut apud Monium:

Cujus resurrectio
omni plena gaudio
consolatur omnia

non autem *pleno gaudio*, ut apud Danielem mendo typographico legimus. Versus quartus strophae sextae (quintae apud Danielem) habet: *prima* est intuita; versus secundus strophae nonae (octavae apud Danielem) habet: *quod precetur nam deletur*, ut apud Monium recte etiam legitur, id quod et metro horum trium tristichorum convenit, et sensum ornat: Maria Magdalena hoc ipso, quod Christus renuit concedere id, quod rogare feminae in animo erat, cognovit, Christum esse eum quem adoraret. Ceterum tetrastichon *Illa enim fuit porta* rel. in meo libello antecedit hoc: *Illa mundi imperatrix* rel., quod non ineptum videtur.

12. Adami de S. Victore carmen in exaltatione crucis:
Laudes crucis attollamus.

Hoc carmen et notissimum et suavissimum, quod in libello meo missali reperitur folio CCXXXV v. — CCXXXVIII r., etsi in universum ex more scribae accurate exaratum, defectum habet vere dolendum: praetermisit enim librarius tristichum secundum: *Nam in cruce — victoria*, et in stropha decima, versu sextu ut mire ita misere erravit, scribendo *hostis* pro *unus*. Ceterum bis (str. 6, 3 et str. 11, 1) posuit *ipsa* pro ista, et str. 7, 2 *signet* pro munit. Reliqua ad literam respondent lectioni genuinae, quam habes apud Danielem II, 78. cf. V, 89.

13. Sequentia in die Pentecostes:
Sancti spiritus assit nobis gratia.

Divulgatissima haec sequentia (utrum Roberti regis sit, an Notkeri, dubium) in nostro libello eadem verba praebet, quae legis apud Danielem II, 16—17, praeterquam quod Noster versu 2. cum multis libris habet: *habitacula*. Conf. Dan. thes. V, 68—69.

14. Roberti regis canticum de Spiritu sancto:
Veni Sancte Spiritus et emitte coelitus.

Non est quod e meo libro, ubi hoc canticum praestantissimum legitur fol. CCXXXIX v. — CCXL v., adferam, nisi quod habet Str. 6. cum aliis libris *in lumine* pro *in homine* vulgatae lectionis. *Dan.* thes. II, 35. V, 69. *Mone* I, 244. No. 186.

15. Sequentia de Sancta Trinitate:

Benedicta semper sit sancta Trinitas.

Apud Danielem II, 49 sq. cf. V, 71; in meo libello fol. CCXL v. — CCXLII r. Librarius meus habet (maximam partem cum plurimis libris, quos tamen sequi Danieli non visum est) v. 1. sancta sit Trinitas. v. 2. *sed una* pro omnia. v. 3. *socia* p. socius. Post hunc versum ponit: *Ipse tamen filius deus verus a patre, praeclarus itaque spiritus ab utroque emanat,* ut in fine pro sanctus: *dominus.* v. 5 (6). *Trinitas* pro proprietas. ibid. est *et* in essentia. v. 7 (8). *continet.* v. 11 (12). *Et nos voce praecelsa omnes modulemur organica cantica dulci melodia.* v. 12 (13). *Eia et Eia nunc una jubilemus altithrono domino laudes in excelsis.* v. 14 (15) repetit priorem: *o veneranda unitas.* v. 19 abest.

16. Sequentia Notkeriana de sancto Joanne Baptista:

Sancti Baptistae Christi praeconis.

In libello meo missali fol. CCXLII r. — CCXLIII r., in *Danielis* thesauro II, 18. V, 74, apud *Monium* III, 49 sq. no. 656. Varietatem lectionis non exhibet librarius meus.

17. Sequentia Notkeriana de Petro et Paulo Apostolis:

Petre summe Christi pastor et Paule gentium doctor.

Adi Danielis thesaurum II, 19. V, 75. Mihi fol. CCXLIII r. — CCXLIV r. Non est quod adnotem, nisi quod v. 6. noster habet *tuae dedit*, et v. 8. *Doctiloquos* cum multis libris.

18. Godescalci Sequentia de Maria Magdalena:

Laus tibi Christe qui es creator et redemtor.

In meo libello fol. CCXLIV r. — CCXLVI r.; apud *Danielem* II, 39. V, 82; apud *Monium* III, 415—416. Noster habet v. 7. *divinis*; v. 10 *adamas* (sic etiam Mone); v. 11 lavanda, tergenda (sic Mone etiam). v. 13 tangi *a* peccatrice.

19. Sequentia de S. Laurentio:

Stola iocunditatis.

Mihi fol. CCXLVI r. — CCXLVII v. *Danielis* thes. II, 163. V, 292. *Mone* III, 390. Liber meus missalis habet v. 1 *stolam* pro stola, v. 3 *alacrius* pro alacrior, clausula 10 v. 3 *exultantis* pro insultantis, v. 4 *ferrea* pro aspera.

20. Sequentia in assumtione Mariae:

A rea virga primae matris Evae.

1. A rea virga primae matris Evae florens rosa processit Maria.
2. Oritur ut lucifer inter astra aetherea perpulchra ut luna.
3. Flagrescit ultra omnia balsama pigmenta et tymiamata.
4. Purpurea ut viola, roscida ut rosa, candens ut lilia.
5. Patris summi quam elegit proles deica ut assumeret carnem sacrosanctam ex virginis carne incorrupta.
6. Celsus nuntiat Gabriel nova gaudia, aeterni regis exortum in terra, matremque eius ita salutat:
7. Ave Maria, domini mei mater alma, coelica plena gratia.
8. Tu benedicta regem in secula paries, effecta orbis regina.
9. Fecunda ergo, inquit, quomodo esse queam, cum virum non cognosco, ex quo sum nata, et semper permansi virgo pudica.
10. Ne timeas, respondit angelus; sanctum pneuma descendet in te castam quo fecundata paries deum et hominem una.
11. O vere sancta atque amanda, ex qua est orta redemtio nostra, salus quoque mundi veraque vita.
12. O Dei nostri genitrix pia, suscipe nostra hac die precata, in qua es assumta ad coeli claustra.
13. Tu es enim patri cara, tu es Jesu mater bona, tu sancti spiritus es templum facta.
14. Tu es pulchra Dei sponsa, tu regem Christum enixa, domina es in coelo et in terra.
15. Hodie namque curiae coelestis tibi obvia agmina te assumpserunt ad palatia stellata.
16. Jesus et ipse festivus tibi mater cum angelis occurrens sede paterna secum locavit in secla.
17. Jam cum Deo regnas, nostra excusa clemens mala, poscens cuncta bona o benigna.
18. Mediatrix nostra quae es post Deum, spes sola, tuo filio nos repraesenta,
19. Ut in poli aula laeti iubilemus. Alleluia.

Indicavit *Daniel* hanc sequentiam in Thesauro II, 171; typis exprimendam non curavit. Inter innumera carmina, quae seculo XII, XIII et XIV in honorem Mariae virginis confecta sunt, haudquaquam eminet nostra sequentia, nota et jam dudum trita repetens. Vix autem, si hoc carmen et similia rependimus, a crimine idololatriae defendi poterunt, qui his carminibus utuntur: haec non est *invocatio*, quae fertur et anxie plerumque praetenditur, sed *adoratio* Mariae virginis. Nec potest hoc crimen minui excusatione saepius audita, omnia carmina, quae adorare videantur Mariam virginem, aut lusus esse poeticos, aut devotioni privatae inservisse et etiamnum inservire. Noster liber missalis (ubi sequentia nostra legitur fol. CCXLVII v. — CCXLIX v.) et alii, qui hanc cantionem continent, devotioni publicae, ab Ecclesia institutae, ut inservirent, scripti sunt.

21. Sequentia in assumtione Mariae virginis:
Hac clara die turma festiva.

1. Hac clara die turma festiva dat praeconia,
2. Mariam concrepando symphonia nectarea:
3. Mundi domina, quae es sola castissima virginum, regina.
4. Salutis causa, vitae porta, atque coeli referta gratia.
5. Nam ad illam sunt nuntia olim facta angelica:
6. Ave Maria, gratia Dei plena per secla.
7. Mulierum pia agmina intra semper benedicta.
8. Virgo et gravida, mater intacta prole gloriosa.
9. Cui contra Maria haec reddit famina:
10. In me quomodo tua jam fient nuntia?
11. Viri novi nullam ecce copulam,
12. Ex quo atque nata sum incorrupta.
13. Diva missus ita reddit affata:
14. Flatu sacro plena fies Maria.
15. Nova efferes gaudia coelo terrae nati per exordia.
16. Intra tui uteri claustra portas qui gubernat aethera,
17. Omnia qui dat tempora pacifica.

Exile hoc carmen et fere pedestre liber meus habet f. CCXLIX v. — CCL v. Indicatum est a *Monio* II, 131 (Monii verba repetit Daniel V, 130) ut carmen, festo purificationis Mariae destinatum.

22. Carmen de S. Augustino:
Interni festi gaudia.

In Danielis libro legitur II, 250—251, in meo f. CCL v. — CCLII r. Versus, ut apud Danielem, junctos, sed distichon 15. Danielis cum disticho 14., et distichon 17. cum disticho 16. in tetrasticha juncta noster liber praebet. Lectio non discrepat, praeterquam quod str. 9. v. 1 non *Tibi*, quod sensum vix praebere videtur, sed *Ibi*, aut ex correctura rubricatoris *Ubi*, noster libellus legit.

23. De decollatione S. Joannis Baptistae sequentia:
Salvatori jubiletur.

1. Salvatori iubiletur
   in laude sui pretii.

Cuius meta non habetur,
sed nec caput imperii.

2. Quam occulta judicia,
quam operta consilia
Dei, nulli patentia.
Qui carnis post exitia
digna rependit praemia
sola vocatis gratia.

3. Herodes dira bestia
Joannem vitae speculum
horrendo clausit carcere.
Sed et voce nefaria
post dierum curricula
mira damnavit scelere.

4. Via vitae, scola morum,
dum causatur impudici
Herodis adulterium;
Medicina peccatorum
reprobandae meretrici
deportatur in praemium.

5. Nimirum silent organa,
obmutescunt et tympana
dum spiculator mittitur.
Mensa migrat in caveam,
dum ad vocem femineam
caput justi producitur.

6. Sanctus ergo decollatur
et ipsius caput datur
saltatrici.
Res in luctum commutatur
cum praeceptum commutatur
impudici.

7. Luctu finitur gaudium
et regale convivium
dedit in homicidium.

8. Sola gaudet adultera
dum tristatur plebs cetera
propter oblata munera.

9. Regem ergo detestemur
et praeconem veneremur
veritatis.
Ut quos mundi moles urget
votis levet et expurget
a peccatis.
Amen. Alleluia.

Hanc sequentiam, quam nec nunc reperio in libris, qui praesto sunt, neque unquam alibi legisse memini, libellus meus missalis habet fol. CCLII v. — CCLIII v.

24. In nativitate S. Mariae virginis prosa.

1. Alle coeleste nec non et perenne luia
2. Dic paraphonista cum mera symphonia,
3. Tuba et canora palinodias canta.
4. Jam omnis usia hanc Christi genitricem die ista
5. Congaudet exorta, per quam sibi sublatam capit vitam.
6. Davidica stirpe sata Davidis ad sceptra est regenda prole fecundata.
7. Haec gravidata viscera sunt tamen per ulla patris membra, sed ex fide sola.
8. Ab arce summa angelus astat: Maria, inquit, alma ave, plena
9. Gratia, sancta et benedicta feminas inter omnes, paritura
10. Regem, qui dira mortis vincula
damnabit mira cum potentia
suum plasma solvens sponte sua,
atque beatam donans vitam.
11. Fit mox puella verbis credula:
se puerperam stupet et castam,
natum gestans speciosum forma,
regentem cuncta orbis regna.
12. Haec est sola cunctorum hera materna, obscurans piacula;
13. Haec est virga non irrigata sed Dei gratia florigera,
14. Velut rosa decorans spineta; sic quod laedat non habet Maria.
15. Tu virgo sola, mater casta, nostra crimina
16. Solve, dans regna, quo beata regnant agmina.
17. Potes enim cuncta ut coeli regina,
et jura cum nato omnia
decernis in secla et ultra;
subnixa es in gloria.

18. Cherubin electa Seraphinque agmina,
nam juxta filium posita
sedes in dextera rutilans,
virtus, lampas et sophia.
19. Nativitas unde gaudia nobis confert hodie annua,
20. Et resonat camoenis aula in laude tua, virgo Maria.
21. Gaudet per elymata orbis ecclesia, dicens alleluia,
22. Quod et palatia coeli clamant, dindyma usque dantia praeconia.

Hoc carmen Notkeriano fere more eruditum sed tamen seculi XIV artem redolens et floribus graeculis mirum in modum conspersum libellus meus habet fol. CCLIV r. — CCLVI r., non habent libri, quos inspexi.

25. Notkeri Sequentia de S. Michaele Archangelo:
Ad celebres rex coelice laudes.

Hoc carmen satis jam dudum vulgatum typis nuper bis expressum est a *Monio* I, 555 et a *Daniele* V, 93—94. Noster libellus (fol. CCLVI r. — CCLVIII r.) habet v. 2. *Clangat* et omittit *tuo*; v. 3. *Odasque solvat;* v. 6. *pneumatum* pro spirituum; v. 10. *angelica et archangelica*, omisso *phalanx*. ibid. *virtusque*; v. 18. *harmoniaca*; v. 19. *per* bella. ibid. *nostra* Deo. ibid. *circa* aram.

26. Sequentia de omnibus sanctis:
Resultet tellus et alta coelorum machina.

Legitur apud *Danielem* V, 319—320. In meo libro f. CCLVIII r. — CCLX r., ubi haec lectionis varietas apparet: v. 2. *superi* pro aeterni; ib. *aetherea*; v. 7. *illic* p. illuc; v. 10. *quis aeternas*, qua lectione metro satis consuli videtur; v. 14. *supera* pro superna; ibid. *quam* pro qua; v. 17. *digniter* p. dignanter; v. 20. *ubi* p. ibi; v. 21. Abest totus versus; v. 22. *personent* p. personant.

27. Sequentia Notkeriana de Sancto Martino:
Sacerdotem Christi Martinum.

Vide *Danielem* II, 27—28. V, 118—119; *Monium* III, 432 sq. Meus libellus hanc usitatissimam sequentiam habet f. CCLX r. — CCLXI v., et legit v. 14. *Et* pro Hic; v. 17. *ut* qui.

28. Carmen de S. Elisabeth:

Florem mundus protulit.

Daniel thes. II, 208—209. In libello meò f. CCLXI v. — f. CCLXIII r. Habet Danielis exemplar menda, quae a nostro libello emendantur: Str. 3. v. 4. excidit apud Danielem *voce*; str. 5. v. 3. non refecit, sed *fecit* est legendum; str. 7. v. 2. non poenitentiae, sed *patientiae*, quae, ut omnibus notum, est propria Elisabethae virtus. Ceterum in eadem stropha mirum est sphalma typographicum apud Danielem, praebens *vini* pro *vim*.

29. Sequentia de S. Catharina.

1. Regem regum decantet fidelis chorus. Alleluia.
2. Katherina triumphans ascendit coelos cum gloria.
3. Angelus consilii laudetur in virginis victoria,
4. Sol per quem non deficit martyrum mirabilis constantia.
5. Virginis haec filio corporis martyrio fuit nupta.
6. Neque per martyrium virgo, florens lilium, fit corrupta.
7. Rhetori concluditur, virgini non parcitur valle nostra.
8. Rota candens penitus igne misso coelitus est consumta.
9. Apertis miraculis conversis incredulis mens regis non desinit esse caeca.
10. Tandem plexa capite novo diademate coronari meruit haec praedicta.
11. Orante martyre mundemur propere omni crimine, gens misera.
12. Hoc clemens effice natus mirifice rex de virgine puerpera. Alleluia.

Habet hanc Sequentiam *Monius* III, 216—217, non de Catharina, sed de Barbara (cf. Dan. thes. V, 123), mutatis tamen versibus 7. 8. 9. Reperitur in libello meo fol. CCLXIII r. — CCLXIV r. Quod legitur v. 7. *Retori concluditur*, male dictum; indicare vult poeta narrationem, Catharinam rhetores et philosophos disputando vicisse, id quod in laudibus Catharinae virginis saepius commemoratur v. Monium III, no. 985. 987. 994. 995. 996. 1007. 1008. De Barbara recte: carcere concluditur. Ceterum confer sequentiam *Laetabundus* supra No. 3.

30. De S. Andrea Sequentia:

Sacrosancta hodiernae festivitatis praeconia.

Vide hanc sequentiam apud *Monium* III, 102. Libellus noster eam habet f. CCLXIV r. — CCLXV v. Legitur ibi v. 1—2. hodiernae festivitatis praeconia; v. 8. *praefulgentis* p. praepollentis; v. 13. fratre suo; v. 21. *Cujus* p. ejus; v. 37. *inferna* p. inferni; v. 47. *Sis* p. Hic; v. 48. *spirans* pro spiret.

31. De S. Nicolao Sequentia:
Congaudentes exultemus.

Legitur haec sequentia apud *Monium* III, 455 sq. apud Danielem V, 125. Addit noster liber, qui habet hanc sequentiam fol. CCLXV v. — CCLXVII v., in fine hos versus, quos etiam *Monius* habet, Daniel nescio qua fultus auctoritate omittit:

Cuius festum celebrantes
gaudeant per secula,
Et coronet eos Christus
post vitae curricula. Amen.

Hoc modo stropha quinta carminis ad sedecim versus, quem numerum habet et quarta, augetur, et sic compositum esse carmen ab initio, verisimile est. Ceterum non discrepat nostra scriptio ab editione Monii si hoc exceperis, v. 57 (Dan. str. 5, v. 7) legi *ipsam* et v. 58 (Dan. 5, 8) *a* Domino.

32. In annunciatione S. Mariae Virginis Sequentia:
Salve porta perpetuae lucis fulgida.

Mihi fol. CCLXVII v. — CCLXVIII v. hoc carmen pervetustum legitur. Est apud *Monium* II, 69; apud *Danielem* V, 252. Nulla lectionis varietas.

33. Sequentia de S. Maria Virgine:
Ave mundi spes, Maria, ave mitis, ave pia.

Mihi fol. CCLXVIII v. — CLXX r. Apud *Monium* II, 303; Danielem V, 136. A Monii recensione, quam secutus est Daniel, libellus meus eo discrepat, quod invertuntur tristicha strophae tertiae et quartae, ut etiam habent *Monii* libri meliores, quos tamen sequi non ei visum est:

Ave cuius viscera
contra mortis foedera
ediderunt filium,
Ave carens simili,
mundo diu flebili
reparasti gaudium.

Ave virginum lucerna
per quam fulsit lux superna
his, quos umbra tenuit;
Ave virgo, de qua nasci
et de cuius lacte pasci
rex coelorum voluit.

Ceterum pro *Ave rosa speciosa* librarius meus *Ave virgo speciosa* scripsit. Notandum, v. 28. Danielis in *quae* pro in *qua* legi, mendo typographico.

34. Hermanni Contracti Sequentia de Beata Virgine:
Ave praeclara maris stella.

Hoc carmen celeberrimum in meo libello (f. CCLXX r. — CCLXXII v.) habet ut plures libri str. 3. *fulgur* et str. 14. *puros*, str. 4. autem pro *plenam fide: lignum vitae*, et rursus str. 5. pro *lignum vitae: plenam fide.*

35. De Beata Virgine Sequentia:
Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Daniel Thes. II, 92—93. V, 131. *Mone* II, 112. Libellus meus (fol. CCLXXII v. — CCLXXIII v.) discrepat in stropha septima ab ea forma, quae apud Monium et Danielem legitur, est enim haec:

Te coelestis collaudat curia,
Tibi nostra favent obsequia,
Quae es Dei mater et filia:
Per te reis donatur venia.

Apud Danielem illud *qui* pro *quae* (mater es rel.) et infra str. 8. *verba* pro *verbi* menda typographica esse arbitror.

36. De Maria Virgine Sequentia.

1. Post partum virgo Maria Dei genitrix fecunda, gratia tonantis plena.
2. Ave terrarum domina, alma coelorum regina.
3. Tibi aethera omnisque sanctorum turma resultet symphoniam.
4. Tellus, flumina atque silvarum nemora depromunt voce sua:
5. Salve parens inclyta, felix puerpera,
6. Per te lux et veritas mundo est edita,
7. Tu Jesum papilla lactasti sacra,
8. Extans virgo feta, mater intacta.
9. Unde nostris eia fave votis domina,
10. Christum interpellans pro salute humana:
11. Per te mater aboleri filiorum flagitamus crimina,
12. Hosque omnes introduci sempiterna paradysi gaudia,
13. Quo perennis vitae perfruamur gloria.

Indicatum est hoc carmen apud Danielem V, 134. ex indice Sequentiarum SanGallensi. Extat in meo libro f. CCLXXIII v. — CCLXXIV v.

37. De dedicatione ecclesiae Sequentia Notkeri:

Psallat ecclesia.

Vide Danielis Thes. II, 23—24. V, 101. Monium I, 323. In meo libello (f. CCLXXIV v. — CCLXXV v.) versus: *Angeli* rel. antecedit versum: *Hic novam prolem* rel. In fine additur *Alleluia.*

38. Sequentia Notkeriana in dedicatione:

Clara chorus dulce pangat voce nunc Alleluia.

Hanc optimae notae sequentiam *Daniel* thes. V, 163 sq. e *Monii* libro I, 327 desumsit, hic autem ex Codice Sangallensi Sec. XIII. Meus codex alias, et ex parte meliores multo lectiones praebet (fol. CCLXXV v. — CCLXXVII r.); v. 7. *virens* pro *nitens*; v. 8. *poli* pro *coeli*; v. 23. *elegi* pro sphalmate *elegit*; v. 33. *distincta* pro ornata. Post v. 34. meus liber habet:

Ave mater praeelecta,
Christus ad quam fatur ita
prophetae facundia:

quae verba omitti nullo modo possunt, ut allocutio modo sequens: Sponsa mea speciosa rel., e Cantico Canticorum desumta, recte intelligatur; v. 37. pro *splendida* habet meus liber *candida*; v. 38 monstrum horrendum, cui cameli caput impositum, facit Monii aut codex aut typographus ecclesiam, sponsam Christi speciosam. Hoc emendari debuerat. Non *camelus*, sed *Carmelus* (Cant. Cantic. 7, 5) legendum est. Versuum 44—47. ordinem invertit meus librarius, minus bene: *mel et lac sub lingua tua, favus dulcis labia; collum tuum ut columna turris et eburnea;* v. 50. *solita* aperte mendosum, emendandum est in *sedula*; v. 58. pro *gaudia* noster liber habet *gloria*, adjecto *Alleluia.*

Huc usque carmina libelli mei seculo XIV exarata sunt. Quae sequuntur carmina, seculo XV sunt libro inscripta, tribus ad minimum aut quatuor manibus.

---

39. Invocatio B. Mariae Virginis.

Ante thronum trinitatis,
miserorum miserata,
pia mater pietatis
sis pro nobis advocata,
causam nostrae paupertatis
coram Deo sustine,

et veniam de peccatis
servis tuis obtine.
Alleluia.

Virgo pura
dele dura
vincula;
matris cura
culpas cura;
perdita
vitae jura
servis tuis retine.
Alleluia.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Kyrie eleison.
Sanctus Sanctus Sanctus Dominus. Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
dona nobis pacem.

Fol. CCLXXXIIIv. — CCLXXXVr.

40. Alia invocatio.

Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus Mariae filius qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.
Jesum virgo quae lactasti,
cuius carne nos cibasti,
huius gustu ac odore
sana mentes a languore,

carnem fac desipere,
Maria mater gratiae.

Fol. CCLXXXV v.

41. De S. Augustino.

Alleluia.
Augustine flos praesulum
qui clausa reserasti,
qui sacrae nobis poculum
doctrinae propinasti,
et haereses damnasti,
nos visita,
nos suscita,
qui vitam praedicasti.

Fol. CCLXXXVI r.

42. In visitatione B. Mariae Virginis carmen:
Veni virgo virginum, veni lumen luminum veni vena veniae.

Apud *Monium* II, 359 f. cf. *Danielis* thesaurum II, 198. V, 71. Mihi fol. CCLXXXVII r. — CCLXXXVIII r. Varietas lectionis fere nulla.

43. De virginibus Sequentia:
Gaude coelestis, summi regis iam templum ingressa.

Apud Danielem II, 175. Mihi f. CCLXXXVIII r. Variatio lectionis nulla.

44. De beata M. Virgine carmen:
Gaude mater luminis.

Daniel II, 191. Mihi fol. CCLXXXIX r., et habet meus liber non: *Salve virgo regia*, sed *Salve virga regia*.

45. In adventu Domini ad processionem.

Ecce carissimi dies illa judicii
magna et terribilis instat.
Praetereunt dies nostri velociter,
advenit praeclarus adventus Domini.
Jam crebro sono nos hortatur et dicit:

priusquam ostium paradisi claudatur,
unusquisque vestrum cito properet,
ut intro iens in aeternum cum Domino regnet.
Praeparate vosmet ipsos, ut videatis
immortalem sponsum et possideatis
regna coelorum.
Ecce mater nostra Jerusalem cum magno affectu clamat ad nos et dicit:
Venite filii dilectissimi, venite ad me.

Fol. CCXC r. Plura deesse videntur.

46. De Apostolis Sequentia Notkeri:

Clare sanctorum senatus apostolorum.

Quae Sequentia notissima a fol. CCXCI v. — CCXCIII r. pertinens nullo verbo discrepat a lectione vulgari, quam habes apud Danielem II, 29.

47. De virgine gloriosa genitrice Dei carmen:

Verbum bonum et suave.

Hanc laudationem Virginis vulgatissimam meus liber habet fol. CCXCIII r. — CCXCIV r., *Daniel* II, 95. *Mone* II, 75. nulla lectionis varietate. cf. Dan. V, 254. Quod Daniel de singulari *lilia* pro *lilium* docet, a poeta novum et inauditum Singularem effectum esse, recte se habet: hic enim singularis numerus lilia saepius legitur, ut in Sequentia A rea virga v. 4.

II. Delectus cantionum sacrarum veterum, quas sive latinas sive in nostrum sermonem translatas ecclesia evangelica aut adoptavit aut imitata est.

Ut origo et incrementum canticorum sacrorum apud Evangelicos recte intelligatur, multum valet accurata cognitio eorum carminum sacrorum, quae ut apud ecclesiam veterem usu venerant, ita etiam ab Evangelicis sunt usurpata, aut ipso latino sermone, aut in nostrum translata, aut ita, ut imitati sint Evangelici poetae illos hymnos, plus minusve verba antiqua, ad minimum melodiam canticorum antiquiorum secuti.

Quod quum inter omnes constet, nemo, enumerentur illa cantica evangelica necesse esse, negabit, ut cognoscamus, quae cantica vetera sint adoptata a nobis, quali arte translata, quamdiu servata, quando a nobis neglecta, quando deserta et obliterata. Haesitant autem, qui historiae hymnorum nostrorum prima studia navant, hac in re, quum enumeratio illa etiamnum desideretur, et cantiones nostrae, illos hymnos imitatae, in multis libris dissipatae et quasi absconditae, difficiliores sunt repertu, quam ut studia ista, nimis diu in conquaerendis singulis cantionibus morata, bene possint procedere.

Non ut huic rei consulam, sed ut excitem si fieri possit alios, illi enumerationi operam navare, haud dubie non perditam, hoc loco delectum proponere in animo est illorum carminum sacrorum veterum, e quibus nostra ecclesia hausit suarum cantionum partem haud exiguam, haud sane vilem.

Delectus meus, ut inserviat enumerationi, quam futuram spero, plenae et absolutae quam possit fieri maxime commode, secuturus est ordinem alphabeticum.

1) **Ad coenam agni.** Hymnum hunc paschalem, quem inter resurrectionis Christi et ascensionis festa canere solebant veteres, habes in *Danielis* thesauro I, 88. conf. IV, 73. 353. Antiquissima hujus hymni imitatio est cantio: **Laßt uns nun alle fürſichtig ſein,** quam primus, quod ego scio, continet famosissimi *Thomae Münzeri* liber Deutſch kirchenampt. Alſtedt. s. a. (circa annum 1524) fol. Liij; post in fere omnes libros cantionales evangelicos recepta (*cf. Wackernagelii* Deutſches Kirchenlied no. 804), in his omnibus ad finem usque seculi XVII est servata, in nonnullis usque ad annum 1740 circiter, quo nova plurimorum huius generis librorum elaboratio, rejectis multis canticis veteribus, facta est.

Alia imitatio est: **Dem lemlyn dat thor Oſtertydt,** quam in *Briesmanni* libro: Kurtz ordnung des Kirchendienſts etc. zu Riga MDXXXVII fol. 99b primo deprehendi, et quae saepius in libris reperitur (Dem Lämlein das zur Oſterzeit in Cantionali Norimbergensi anni MDCXXVI), ultra medium sec. XVII autem non est servata.

Alia imitatio est *Erasmi Alberi:* **Nun laßt uns Chriſtum loben fein**, quae in *Cyriaci Spangenbergii* libello Chriſtliches Geſangbüchlein MDLXVIII No. 64 legitur, et in satis multis libris ad medium usque seculum XVII reperitur.

Alia: **Zu dieſes Lämleins Oſterſpeis**, auctore *Ambrosio Lobwasser*, vix ad medium seculi XVII a nobis servata est.

2) **Agnus Dei.** Praeter formam strophicam illam vulgatissimam **O Lamm Gottes unſchuldig**, et praeter eas huius cantici formas, quae cantico *Kyrie**) insertae sunt, aliam etiam formam habuimus, ad litteram latinas voces reddentem: **Lamm Gottes der du wegnimmſt die Sünden der Welt** rel., quam tamen post annum MDCXXX in libris quos inspexi, raro reperi.

3) **Agnoscat omne seculum.** Hunc Venantii Fortunati hymnum (*Daniel* th. hymn. 1, 159) duae cantiones reddunt quantum ego scio: **Kommt her o ihr Völker komt her** et **Es iſt uns kommen das Lösgeld** (cuius auctor fertur *A. Lobwasser*), minus scite compositae; ante medium seculi XVII jam in ecclesia obmutuerunt et e libris ejectae sunt.

4) **Ascendit Christus hodie.** Est hic hymnus imitatio officii missae in die Ascensionis, et hoc die festo in nostris ecclesiis usu venit fere omnibus, in nonnullis usitatissimus fuit usque ad finem seculi XVII, ut apud Wetflarienses. Translatio germanica **Gefahren iſt der heilig Chriſt Alle-Alleluja** usque ad medium seculum XVIII apud nostros cantabatur, ut apud Hildesheimenses et Smalcaldenses (hic tamen immutata Petri Buschii cura). Megalopolitenses Strelitii et latinum et germanicum hymnum servarunt ultra annum 1767.

5) **A solis ortus cardine.** Hunc hymnum Ambrosianum celeberrimum (*Daniel* th. 1, 21) imitatus est *Lutherus:* **Chriſtum wir ſollen loben ſchon** (ubi ſchon est adverbium adjectivi ſchön proprio sensu usurpatum, non nostro, quo significat *jam*), quem Lutheri hymnum nostri libri universi servarunt usque ad interitum cantus evangelici circa annum MDCCLXX. Extant autem aliae etiam imitationes: **Lobſinget Gott und ſchweiget nicht** *Michaelis Weissii*, Bohemi fratris, quam in libris sec. XVI (Kirchengeſang. Frankf. 1569) et sec. XVII, sed rarius, reperio, non autem post medium seculum XVII. **Laßt uns von Herzen ſingen all** *Thomae Münzeri* (Deutzſch kirchenampt 2, fol. ȳb), quae imitatio a nonnullis libris evangelicis recepta, sed mox mutata, tum a nostris derelicta est (v. *Wacker-*

---

*) Domine Deus, agnus Dei filius patris qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram; qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis = Herre Gott, ein Lamm Gottes, Sohn des Vaters, der du trägſt der Welt Sünde, Erbarm dich unſer; der Du trägſt der Welt Sünde, nimm gnädiglich auf unſer Gebet; der du ſitzeſt zur Rechten des Vaters, Erbarm dich unſer, quae cantio germanica, appellata: die deutſche Meſſe, idque iisdem fere notis musicis, quibus ab antiquissimis temporibus est cantata, usque ad nostram fere aetatem in ecclesiis evangelicis fere omnibus retenta et nostro tempore restituta est, ubi ejus obliti fuerant pastores increduli.

nagelii librum no. 661. 662). **Von der Sonne Auf- und Niedergang** cuius auctor fertur *A. Lobwasser;* hanc imitationem imitationis (Lutheri) me post annum MDCXXX vidisse non memini.

6) **Ave hierarchia.** Vide *Danielis* thesaurum 1, 345. Imitatus est hunc hymnum in Mariam virginem magis quoad metrum quam sententias Michael Weisse Bohemus, in cantico **Menschenkind merk eben,** quod satis diu, vix tamen usque ad annum MDCCL in nostris libris reperitur.

7) **Ave Maria.** Salutationem angelicam, cuius innumerae compositiones in carminis formam redactae extant, unus apud nos communi ecclesiarum consensu imitatus est, *Erasmus Alberus*, non tam artem poeticam veterum, saepe aut fere aut vere idololatram, quam verba et sententiam S. Sacrae, idque fecit in cantico **Ein Engel schon aus Gottes Thron,** quod nostrae ecclesiae libri usque ad initium seculi XVIII, multi diutius, servarunt. Aliae imitationes non receptae sunt in nostros libros, ut quam legimus apud Cyriacum Spangenberg (Christliches Gesangb. No. 46) Der Engel zu Maria gieng. Fratres Bohemi nonnullas compositiones etiam salutationis angelicae imitati sunt, ut *Ave rubens rosa virgo* (quae apud Danielem et Monium desideratur) et *Ave maris stella*, carmen celeberrimum, haec carmina autem (Wackern. no. 356. 361.) in nostros libros, quantum ego scio, nunquam receptae sunt.

8) **Beatus auctor seculi.** Hoc carmen Ph. Melanchthonis est imitatio antiqui hymni (cf. Dan. I, 143. 297.) et hanc imitationem *Paulus Eber* rursus imitatus est, quum carmen suum de angelis: **Herr Gott dich loben alle wir** magis ad metrum quam ad sententiam carminis Melanchthonici adornaret.

9) **Benedicta semper sancta sit Trinitas.** (*Dan.* II, 39). Hanc sequentiam in nostrum sermonem vertit *Michael Weisse* Bohemus: **Gebenedeit und gelobt sei heut und allzeit die heilige Dreifaltigkeit,** quae versio in libris cantionalibus nostrorum seculi XVI haud paucis legitur, seculo XVII ineunte e multis quidem ejicitur, sed in liturgicis libris retinetur, ut hodie etiam in liturgia hassiaca lutherana valet.

10) **Chorus novae Jerusalem.** (*Dan.* thes. I, 222). Extat in perpaucis libris nostrorum hic hymnus in nostrum sermonem translatus ab *Ambrosio Lobwasser*: **Nun sing das neu Jerusalem;** quintum seculi XVII lustrum haec translatio non superasse videtur.

11) **Christe qui lux es et dies.** Hymnus Ambrosianus ad vesperam (Completorium) ut praestantissimus ita vulgatissimus. (*Dan.* thes. I, 33). Translatum in nostrum sermonem nos eum habemus: **Christe, du bist der helle Tag,** incerti etiamnum auctoris (*Erasmum Alberum* indicatum vult *Wackernagelus*); **Christe der du bist Tag und Licht,** auctoris non minus incerti (*Wolfgangum Musculum* esse putat *Wackernagel*), quae duo carmina inter vulgatissima nostrae ecclesiae numeranda sunt, in nonnullis libris (ut in libro cantionali electoratus Hanoverae) neque a magna vastatione cantûs ecclesiastici, qua

impii furebant in bona carmina inde ab anno MDCCLXX et nunc etiam, quantum possunt, furunt, deleri potuerunt, et nostra aetate in libros novos, quos Nostri conficiunt, cantionales reducuntur. Eiusdem fere auctoritatis fuit *Nicolai Hermani* cantus: **Hinunter iſt der Sonnenſchein.** Versio, quam apud *Briesmannum* Riganum reperio (fol. 71b) **Chriſte du biſt licht und de dach** non nisi in hoc libro legi videtur. Sunt etiam aliae imitationes: **Chriſte dem nichts verborgen iſt; — Der Welt Heiland Herr Jeſu Chriſt** (*Ambrosii Lobwasser*); — **Die Sonne wird mit ihrem Schein; — Eh denn der Tag von hinnen weich** (*Ambr. Lobwasser*); — **Die Sonne wird bald untergehn;** seculi XVI omnes; — **Ich hab nun hinbracht dieſen Tag** (*Joannis Leonis*, Thuringi); inter quas Die Sonne wird mit ihrem Schein ad initium seculi XVIII usque in plurimis et Die Sonne wird bald untergehn in multis libris, in nonnullis usque ad tempus exitii reperiuntur. Ceterum permulta extant carmina, quae metrum et melodiam hymni nostri sequuntur, aut saltem ad a. MDCXXX sequebantur; postea melodiis aliorum carminum maximam partem assignabantur.

12) **Christus pro nobis passus est.** Hanc imitationem antiquorum hymnorum nostri in ecclesiis in festo resurrectionis cantaverunt ad seculi XVIII initium. Extant praeterea duae translationes huius carminis in nostrum sermonem: **Jeſus Chriſtus wahr Gottes Sohn für unſer Sünde hat genug gethan, und hat vergoſſen ſein theurbar Blut,** incerti auctoris (*Hermanni Bonni*?) seculi XVI, quae circa annum MDCCXL demum e nostris libris remota est, et *Ambrosii Lobwasser* **Chriſtus das rechte Oſterlamm;** quas post annum MDCLX haud amplius in libris reperio.

13) **Cedit hiems eminus.** (*Dan.* I, 342). Hunc hymnum non ita vetustum sed sub finem seculi XV ut videtur vulgatissimum *Michael Weisse* non quidem imitatus est, verum ejus metrum et melodiam satis suavem nobis servavit in cantione illa vulgatissima: **Weltlich Ehr und zeitlich Gut.**

14) **Coelos ascendit hodie.** Hunc hymnum, quem in antiquis libris non reperio, *Daniel* Thes. I, 343 ex Hymnario Vratislavensi anni 1754 desumsit; eandem ejus formam habes im hymnario Dresdensi, a *B. W. Marperper* a. 1724 concinnato, et hoc loco etiam interserta est versio germanica *Michaelis Francii* **Gen Himmel aufgefahren iſt** quae ad magnam usque vastationem cantus evangelici in fere omnibus libris legitur. Extat autem alia etiam huius hymni forma:

1. Coelos ascendit hodie Alleluia, Alleluia
   Jesus Christus rex gloriae All. All.
2. Consors paternae gloriae A. A.
   Dei assidet dexterae A. A.
3. Galilaei aspicite A. A.
   In Domino jam plaudite A. A.
4. Jesus assumtus a vobis A. A.
   Iudex venturus est orbis A. A.
5. Credentibus ad gloriam A. A.
   Praeparavit ille viam A. A.
6. In hoc solenni gaudio A. A.
   Benedicamus Domino A. A.

Haec hymni forma adhuc anno 1767 in nonnullis libris (ut in Auserleſenes und vollſtändiges Geſangbuch, worinnen 784 der beſten und geiſtreichſten Lieder welche in denen Chur-Sächſ.

Kirchen pflegen gesungen zu werden, enthalten. Dresden 1767) legitur, et hujus versio germanica est: **Christus ist heut gen Himmel gfahren,** haud dubie seculi XVI, quam cantionale Norimbergense a. 1603 et 1626, *Crügeri* praxis melica et alii libri praebent, praebet et ille liber saxonicus a. 1767, intersertam latini hymni strophis, sed duabus primis strophis mutatis: Gen Himmel aufgefahren ist der König der Ehren Jesus Christ. Er sitzt zur rechten Gotteshand, erlöst uns von der Sünden Band.

15) **Conditor alme siderum.** Hymnum hunc Ambrosianum in Adventu Domini notissimum v. ap. *Danielem* I, 74. In nostrum sermonem translatus est in cantione **Gott heilger Schöpfer aller Stern,** quam apud Thomam Münzerum (Deutzsch kirchenampt II, e[a]) primum reperi, Nostri autem in suos libros omnes receperunt et usque ad aetatem excidii 1770—1780 retinuerunt. Aliae aut versiones aut imitationes sunt: **O Herr Gott Schöpfer aller Ding** *Cyriaci Spangenberg* in libello suo (Christliches Gesangbüchlein 1568 Bij), post in nonnullos libros recepta, mox autem ex iis remota, ut ex hymnariis Norimbergensibus, quae ad annum 1607 eam retinent, 1626 non amplius habent; — **Weltschöpfer Herr Gott Jesu Christ** *Conradi Huberi*, ut ferunt, quae per sec. XVII in multis libris legitur; — **O Herre Gott in Ewigkeit** (cf. *Wackernagelii* librum No. 659), quod canticum in paucis libris seculi XVI legi, in seculi XVII libris non reperio; — **Allmächtiger Schöpfer Herre Gott,** Seculi XVI, et Seculo XVII in paucos libros receptum, post a. 1650 a me non repertum; — **O Gottes Sohn vom Himmelreich** *Ambrosii Lobwasser*, in paucos libros breve per tempus receptum.

16) **Corde natus ex parentis.** Hymnus Prudentii de Nativitate Domini. *Dan.* I, 122. IV, 176. Versiones Germanicae sunt: **Aus des Vaters Herz ist gboren** *Joannis Zwickii* (apud *Wackern.* No. 562) in perpaucos libros recepta, et melior translatio: **Aus dem Herzen Gotts des Vaters** in Spangenbergiorum libris (1544 et 1568), auctore *Joh. Oeth* sive *Otto*, quam non receptam esse in libros nostros, vere dolendum. Imitationem etiam putaveris carmen dulcissimum *Elisabethae Crucigerae* (ut ferunt): Herr Christ der einig Gotts Sohn.

17) **Crux fidelis.** De hoc hymno, aut stropha potius una hymni Ven. Fortunati *Pange lingua* v. supra Canticorum antiquorum spicilegium No. 2. Apud Nostros duae existunt imitationes: **Bis gegrüßt Jesu Christ einiger Sohn Gott Vaters in Ewigkeit,** quae extat apud Cyr. Spangenberg l. l. No. 56, vix autem bis terve in libris collocata publicis, et **O heiligs Kreuz** Nicolai Hermanni (Wackern. no. 504) quam in libro Kirchengesäng. Frankf. 1569. et iis libris qui ex eo hauserunt, reperi, non in aliis.

18) **Da pacem domine** *in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Alleluia.* Haec antiphona vetus pro pace, in nostris libris initio adhuc seculi XVIII servata (ut in Hildesheimensi a. 1719) et in nonnullis ecclesiis cantata, non solum a Luthero in nostrum sermonem versa est versibus praestantissimis et, quod mirum, sine ulla mutatione et corruptione ad hunc diem in universa ecclesia evangelica usitatissimis:

Verleih uns Frieden gnädiglich*), sed etiam, aucta tamen et illustrata, a Wolfgango Capitone: **Gib Fried zu unſer Zeit o Herr,** quae in hymnariis Argentoratensibus et Francofurtensibus usque ad finem seculi XVI, et in nonnullis aliis, legitur; et multo magis etiam aucta ab auctore incerto: **Fried gib uns lieber Herre,** quae in paucis libris per totum seculum XVII (inde ab anno 1612 quod ego scio) reperitur.

19) **Dies est laetitiae.** Hic hymnus (Dan. 1, 330. 4, 254. 317) natalitius vetus et vulgaris duas apud nos translationes habet, quae e duobus hymnis profluxisse videntur. Stropha enim Ein Kindelein ſo löbelich e secunda stropha hymni *Dies est laetitiae* orta esse vix potest, et libri nostri antiquiores fere omnes hanc stropham Ein Kindelein forma typographica a prima stropha separant, quasi sit aliud prorsus carmen. Sunt autem duae illae translationes sive imitationes hae: I. Str. 1: **Der Tag der iſt ſo freudenreich** rel. Str. 2. Ein Kindelein ſo löbelich cet. Str. 3. Gleichwie die Sonn durchſcheint das Glas rel. Str. 4. Die Hirten auf dem Felde warn rel. II. Str. 1. **Ein Kindelein ſo löbelich** cet. Str. 2. Die Zeit iſt nun gar freudenreich rel. Str. 3. Wol deme der des Glaubens iſt rel. Str. 4. Des dank ihm alle Chriſtenheit rel. cf. Wackernagel no. 666. 793., et libri satis multi has versiones ambas habent seculo adhuc XVIII (Hymn. Hamburgense 1700, Hildesheimense 1719, alia), et inter eos sunt, qui etiam latinum hymnum habeant. Plerique autem priorem illam et antiquiorem versionem habent solam. Sunt etiam, qui de antiquiore translatione primam tantum stropham receperint, recentiorem totam praebeant (Hymnarium Marburg. reform. antiquum), qui solam recentiorem formam habeant (Hymnarium Hanoveranum), qui solam stropham Ein Kindelein receperint (Hymnarium Hanovianum luth.: Das ſingende Zion). In libellum noviter compositum Deutſches evangeliſches Kirchengeſangbuch Philippi Wackernagelii auctoritate duae strophae Der Tag der iſt etc. Ein Kindelein etc. receptae sunt. Diversam ab his versionibus indicare videtur *Stipius* Hymnol. Reiſebriefe 1, 141. — Ceterum non desunt carmina, quae metrum tantum hujus hymni imitentur, ut Als Jeſus geboren war zu Herodis Zeiten (Wackern. No. 339), fratrum Bohemorum sed a Nostris etiam receptum et satis diu servatum; Weil Maria ſchwanger gieng zu Herodis Zeiten (Wack. No. 337) eorundem, quod carmen et Catholici et Nostri receperunt; Als Adam im Paradies, eorundem, in nostris libris ad a. 1650 usque servatum; et recentiora: Erheb du werte Chriſtenheit dein Herz und Mund mit Freuden (Hildesh. et al.); — Der große Kriegs- und Siegesheld Auguſtus ließ verfaßen (Schleusingen); —

*) Quae jam a. 1533 huic antiphonae Lutheri additae sunt strophae tres: Wann du der Heilgen rel. (Wackern. No. 221) in permultis libris leguntur usque ad annum c. 1650. Medio fere seculo XVII, quod ego scio, addita est autem una stropha pro illis tribus: Gib unſern Herren rel., quae ab anno c. 1620 in plurimis libris legitur, interdum ita, ut inter antiphonam genuinam et hanc additam interseratur versus: Herr Gott gib Fried in deinem Lande et Responsio: Glück und Heil zu jedem Stande. Hic versus cum responsione ultima a me repertus est in Hymnario Gothano (1729. 1736) sed strophae additae superadditus. Ceterum in multis libris seculi XVII et XVIII antiphona Lutheri adjicitur carmini Lutheri Erhalt uns Herr, appendicis loco.

Kommt laßt uns unſer Jeſulein (Hymnaria saxonica); — Glück zu der frommen Heidenſchar (ibid.), alia. Notandum etiam, ad metrum hujus hymni composuisse *Wolfgangum Dachstein* Psalmum An Waßerflüßen Babylon.

20) **Festum nunc celebre.** Hymnus Hrabani Mauri de ascensione Domini (Dan. 1, 217. 4, 207; apud Monium non legitur) in nostrum sermonem versus est **Mein Herz für Freud aufſpringt** Nicolai Hermanni; imitati eum sunt carmina **Der Tag iſt freudenvoll** et **Jeſus Chriſtus erſtanden**, incertorum auctorum, quae tria carmina jam medio seculo XVII e nostris libris removeri coepta sunt, initio sec. XVIII haud amplius a me reperiri potuerunt.

21) **Gloria in excelsis.** Hymnum angelicum (habet eum Daniel II, 267 sq.) et latino et nostro sermone in liturgia nostra nunquam omnino exstirpatum esse, quamvis spretum et neglectum inde ab initio seculi XVIII, notum; non minus nota est translatio *M. Decii*, quae satis laudari non poterit: **Allein Gott in der Höh ſei Ehr**, quam servavimus quidem, sed in permultis libris ita corruptam ab homunculis miseris, ut vix cognosci posset (ut exilis et jejuna *Ditterici* corruptio, quam a. 1780 composuerat, anno 1842, vix credibile, in hymnarium publicum Hamburgense denuo recepta est, idque post incendium, in quo campanae huius hymni melodiam, quum jam in eo essent ut cum turri igne cremata corruerent, quasi cantum quo in sua ipsarum morte Deum ultima vice celebrarent, sonuisse dicuntur). Praeter Decii hymnum perlongum satis tempus aliam rhythmicam compositionem habuimus: **All Ehr und Lob ſoll Gottes ſein** (*Wack.* No. 643), quae proprie strophas non habebat, sed addito in fine versu uno (sic in Francofurtensi hymnario 1569 et in Palatinensi 1570) vel duobus (sic postea per secula XVII et XVIII) in strophas aut septem aut sex versuum est divisa. Accedit *Spangenbergii* imitatio: **Lob Ehr und Preis** (in libello ejus No. 3), et alia etiam, quae in *Briesmanni* liturgia Rigana legitur.

22) **Gloria laus et honor.** Hymnus Theodulfi, dominica in ramis palmarum. Dan. I, 215. **Lob Ehr und Preis ſei Dir, Herr Jeſu Chriſt, Du König und Heiland**, translatio *Cyriaci Spangenberg* (in ejus libello No. 48); alia Ambrosii Lobwasser: **Preis, Lob und Ehr ſei dir König und Herr Jeſu Chriſt Erlöſer;** et eiusdem iterum alia: **Schau Israel dein König gut;** — alia in *Briesmanni* liturgia Rigana fol. 99: **Glory und Ehr ſy dy ſachtmödiger, Köninck Chriſte vnſe Erlöſer.** Nulla earum initio seculi XVIII in libris publicis nostris reperitur.

23) **Grates nunc omnes.** Haec Sequentia Notkeriana de Nativitate Domini (Dan. 2, 5. 5, 41) in nostris libris fere omnibus usque ad medium seculum XVII, in multis usque ad initium seculi XVIII, in nonnullis adhuc aetate cantui nostro exitiosa 1770—1780 legitur. Antiquissima in nostrum sermonem versio quantum ego scio, quae simul est amplificatio et illustratio, est fratrum Bohemorum **Lobet Gott ihr lieben Chriſten**, quae in paucis libris publicis Nostrorum (praeter Hymnarium Bapstii, Wackern. No. 375, in libris Francofurtensibus et Norimbergensibus) legitur neque ultra medium sec. XVII servata a nobis videtur.

Alia est: **Laßt uns nun alle Dank ſagen,** quam iidem fere libri praebent, et *Erasmo Albero* auctori tribuunt; num recte? nescio. Aliam **Dank ſagen wir alle** vulgatissimam omnes libri cantionales nostri publici ab anno 1568 ad annum 1740 habent, multi etiam, qui ab anno 1740 ad annum 1780 editi sunt. Omnes fere et hanc versionem Erasmo Albero auctori tribuunt; falso, ut opinor, tres enim libri gravissimae auctoritatis huic translationi nomen non addunt: *Joannis Spangenberg* Kirchengeſenge. 1545 (adde: *Cyriaci Spangenbery* chriſtlichs Geſangbüchlein. 1568), Kirchengeſäng. Frankfurt 1569 et *Selnecceri* chriſtliche Pſalmen. 1587. Extat praeter has translationes imitatio haud sane spernenda: **Danket dem Herrn Chriſto dem wahren Gott,** cuius auctorem Nicolaum Hermannum ferunt, et quae in nonnullis libris sub initium seculi XVII ad medium usque seculum reperitur.

Sunt etiam carmina, quae metro et melodiae huius sequentiae accommodata sunt, ut Got dem Vater ſamt dem Sohn, et aliae. Non ita diu locum in nostris libris obtinuerunt.

24) **Herodes hostis impie.** In festo Epiphaniae Domini celebrando hic Sedulii hymnus apud veteres usu venit plurimo, et populo gratissimus fuisse videtur. Primis enim reformatae Ecclesiae temporibus in nostrum sermonem versus et Lutheri versio: **Was fürchtſt du Feind Herodes ſehr** per secula XVI et XVII et maximam partem seculi XVIII apud nostros in usitatissimis cantionibus sacris fuit. Duae aliae versiones, una *Thomae Münzeri:* **Herodes o du Böſewicht,** altera *Joannis Spangenberg* **Herodes höchſter Gottesfeind** a Nostris aut plane non aut vix receptae sunt.

25) **Jam lucis orto sidere.** Hymnus ad Primam Ambrosianus notissimus (Dan. I, 56. IV, 42). Wolfgangi Capitonis versionem **Die Nacht iſt hin der Tag bricht an** (Wackern. No. 537) saepius reperi in nostris libris, ultimus fere, qui eam praebet est Crügeri Praxis pietatis melica. Erasmi Alberi imitationem **Steht auf ihr lieben Kinderlein** pauci libri, quos ego inspexi, habent, pauciores etiam versionem: **Aufgangen iſt der Morgenſtern** (*Mützelii* Geiſtl. Lieder III, no. 575), multo plures Nicolai Hermanni versionem **Die helle Sonn leucht jetzt herfür,** quae ad patrum nostrorum aetatem pertinuit, et pedestribus illis et aquosis non dico carminibus sed verborum compositionibus cessit, ut Mein erſt Gefühl rel. Noch läßt der Herr mich leben, et aliis, peioribus etiam. Praestantior hisce cantilenis est Ambrosii Lobwasser imitatio nostri hymni quamvis jejuna **Du König und Gott der Warheit,** quae ut reliqua Lobwasseri poemata, praeter psalmos, per breve tantum tempus viguerunt.

26) **Jam moesta quiesce querela.** Hic celeberrimus Prudentii hymnus, ad exequias defunctorum compositus per seculum XVI apud Evangelicos in usu fuit in sepeliendis mortuis, in nostris libris quamvis paucis sub finem adhuc seculi XVII reperitur (in hymnario Susatensi a. 1674 legitur). *Nicolai Hermanni*, ut ferunt, versio **Hört auf mit Trauern und Klagen** in excidio demum cantus evangelici cum aliis carminibus vere piis interiit et ineptis iis cantilenis, quae vom Wiederſehen, de vana spe, agunt, cessit. Alia extat versio **O Traurigkeit laß ſein dein Klag** incerti auctoris et medio seculo XVII extincta,

sed digna quae etiamnum legeretur et cantaretur; — iterum alia **Hört auf mit Weinen und Klagen,** bonum carmen quod raro tamen reperitur (in hymnario Norimbergensi a. 1626); — et imitatio **Den Leib wöllen wir nun begraben** quae *Joannis Leonis*, Thuringi, esse fertur.

27) **In Dorotheae festo gaudete.** Hanc laudationem S. Dorotheae nemo, quantum ego scio, oblivioni eripere aut potuit aut voluit; nec *Daniel* nec *Mone* eam in suis libris habent, et tamen operae pretium esse videtur eius resuscitatio, quum unica sanctorum laudatio, quam nos habemus, ad modum huius laudationis confecta sit: *Nicolai Hermanni* notum carmen, quod in usum filiae suae Dorotheae composuit, quodque in libro modo commemorato, in hymnario Norimbergensi a. 1626, cum ceteris carminibus sacris nostrae ecclesiae legitur.

28) **In dulci jubilo.** Omnes fere libri nostri hanc cantilenam natalitiam Domini mordicus tenent usque ad annum 1740 circiter, multi usque ad annum 1770. Sunt tamen, quum melodia cantilenae ut simplicissima, ita dulcissima simul et gravissima sit, eamque ob causam populo et notissima et gratissima fuerit, latina verba autem ut ignota, ita aedificando populo minus apta, multa facta pericula, ut hoc carmen in nostrum sermonem totum verteretur. Vix aliud carmen invenies, quod tam multas versiones excitaverit. Antiquissima est Fratrum Bohemorum **Lob Gott du Christenheit,** magis quidem imitatio quam versio, (*Wackern.* No. 394.) quae in hymnariis Francofurtensibus (1569) et Norimbergensibus (1603) legitur, quamque ego in hymnario Amstelodamensi a. 1698, neque amplius, reperio. Eiusdem fere aetatis est **In einem süßen Ton** *Valentini Trilleri*, quae in Hymnario Vratistavensi a. 1644 legitur (trium est stropharum). Denuo edidit eam *Mützelius* Geistl. Lieder I, No. 178. Alia est **Große Freud ist do,** in paucos libros inde ab initio seculi XVII recepta, sed usque ad a. 1776 retenta quo anno in hymnario Sleusingensi typis expressa est. Alia est hassiaca tantum ut videtur, quae haud dubie a Mauritio Landgravio confecta est: **In süßer Freud und Jo,** anni 1612, et anno 1711 ex hymnariis basso-casselanis ejecta. Jam **Jauchzt Gott mit Herzensfreud,** in *Crügeri* praxi pietatis melica (1672. no. 169. 1680. no. 150), *Burchardi Wiesenmeieri* ut fert *Crügerus;* num recte? nescio. Raro occurrit legentibus, ego in hymnario Lunaburgensi solo, et ad annum usque 1695 eam vidi. Sequitur vulgatissima versio, Hanoverana: **Nun singet und seid froh,** quae ab anno 1659 usque ad hunc diem in hymnario Hanoverano legitur, quamque innumeri libri cantionales receperunt. **Jauchzt alle und sagt so** semel, in hymnario Hamburgensi a. 1700 reperi. **Mit Jauchzen in Christo** in hymnariis Bremensibus et Francofurtensibus, ecclesiae reformatae quae dicitur addictis a. 1718 et 1757 legi. **Aus süßem Freudenton** in hymnariis Nassavo-Idsteinensi 1719 et Waldeccensi 1756 legitur. **In süßem Schalle so** in hymnario Hildesheimensi a. 1719 reperi. **In süßem Freudenschall** habet volumen hymnorum Hasso-Homburgense a. 1734. **Mit Freudenschall also** ego non legi, sed a *Königio* in libro Harmonischer Liederschatz 1738 indicatur. Qui librum fere novissimum „Deutsches evangelisches Kirchengesangbuch" conficere jussi sunt, a se impetrare non potuerunt, ut hanc cantilenam praeterirent; ideoque mea et

H. A. Danielis mihi conjunctissimi opera versio Hanoverana quantum fieri potuit emendata, et suffragio virorum qui ad consilium ecclesiasticum ditionum evangelicarum per Germaniam anno 1853 Isenacum vocati erant, in illum librum, cui vir gravissimus *Behrius* Geranus (r. i. p.) nomen dedit, recepta est.

29) **In natali Domini.** *Dan.* I, 329. Apud Nostros hic hymnus perdiu fuit in usu; scholae eum cantaverunt adhuc sub finem seculi XVIII, libri cantionales eum continent usque ad finem seculi XVII. Usitatissima etiam erat versio fratrum Bohemorum: **Da Chriſtus geboren war,** quae in omnibus fere libris nostris exstabat, nec prius quam in excidio cantus evangelici universali exstincta est. Fuerunt et aliae versiones **Nun freut euch ihr Chriſtenleut** *Nicolai Hermanni*, et **Dem neugebornen Kindelein ſingen alle Engelein,** quae quamvis non spernendae, in paucissimis libris leguntur.

30) **Kyrie eleison.** Praeter eam versionem huius introitus, quae verba gracea et latina prosequitur, et quae ad hunc diem in omnibus fere liturgiis evangelicis legitur et ex lege nunquam abrogata cani debet in ecclesiis, jam diu (ab initio inde seculi XVIII, ex hymnario inferioris Hassiae a. 1711) autem ex hymnariis ejecta est (hymnarium Gothanum ad a. 1762 usque totam cantionem retinuit, unum fere inter innumera), plures versiones rhythmicae eiusdem aut variationis potius: *Kyrie magne Deus* (quem nec Lossius, nec Daniel, nec Monius praebent) extiterunt, quae tempore excidii e libris remotae sunt. Ex iis vulgatissima erat: **Kyrie Gott Vater in Ewigkeit,** quam Hymnarium Hanoveranum, quantum ego scio, solum, servavit; alia, vix minus vulgata: **Kyrie Gott aller Welt Schöpfer** (Wackern. No. 642.); aliae, quae in libris non ita multis et ultra initium seculi XVIII non servatae sunt: **Kyrie heiliger Vater wir bitten alle gader; — O Vater allmächtiger Gott** *Joannis Spangenberg* (Wackern. No. 429); **O Vater der Barmherzigkeit** fratrum Bohemorum. (*Wackern.* No. 358).

31) **Lauda Sion salvatorem.** Versionem huius Sequentiae confecit *Michael Weisse* Bohemus (Wackern. No. 391), et nonnulli libri publici, ut Francofurtenses a. 1569, 1570 rel., eam receperunt: **Gelobt ſei Gott von Ewigkeit.**

32) **Laus tibi Christe.** (Dan. 2, 8. 180). Raro versiones germanicae quaerenti in libris occurrunt; **Ehr ſei dir Chriſte** *Cyriaci Spangenberg* (No. 57 libelli ejus) non inepta, sed a paucissimis libris publicis recepta est.

33) **Magnificat.** Festus dies visitationis Mariae virginis Deiparae a veteribus multis hymnis est celebratus, qui fere omnes laudes virginis, easque haud raro ita celebrant, ut proxime absint ab idololatria. Loco horum carminum ecclesia evangelica, id quod eam decet, verba ipsa virginis cultui Deo assignavit, et haec verba, latino sermone reddita, per longum tempus in ecclesiis cantabat; reperiuntur verba latina in satis multis hymnariis initio seculi XVIII quin imo post medium huius seculi compositis, ut in Hildesheimensi Petri Buschii a. 1719, in Saxonicis (anni 1767) et aliis. Reperiuntur itidem verba teutonica in plurimis libris cantui sacro publico destinatis, reperiuntur multa carmina, qui Virginis Deiparae psalmum, a primo ejus verbo appellatum *Magnificat* (v. carmen apud *Montum* II, 124. cf. Danielis thes.

V, 268) in cantilenae formam mutant. Cuius generis carmina sunt: **Mein lieber Herr ich preiſe dich** *Erasmi Alberi*, in nonnullos libros receptum, **Mein Seel erhebt den Herren mein, mein Geiſt thut ſich erſpringen** *Symphoriani Pollionis*, vulgatissimum per secula XVI et XVII, initio seculi XVIII e plurimis libris eliminatum, **Mein Seel o Gott muß loben dich** incerti auctoris, sed in omnibus libris nostris per duo fere secula (c. 1575—1770) servatum; **Mein Seel erhebt zu dieſer Friſt** ab anno 1569 in nonnullos libros receptum; **Maria das Jungfräulein zart**, quod in Norimbergensibus libris (1607. 1626) reperio, *Nicolai Mauri*, ut fert Hymnarium Francofurtense f. 50ª; **Nun meine Seel erhebet**, quod a medio seculo XVII usque ad medium sec. XVIII in libris haud paucis legi; **Den Herren meine Seel erhebt; — Mein Herz und Seel den Herren hoch erhebet**, quae duo carmina in nonnullis libris per annos 1650—1770 leguntur.

34) **Magno salutis gaudio.** Daniel I, 179. 4, 152. *Ambrosii Lobwasseri* versio **Die Welt nun aller Freuden voll** in paucos libros sub finem seculi XVI et sub initium seculi XVII recepta est.

35) **Magnum nomen Domini**, secunda stropha cantici de nativitate *Nunc angelorum gloria* a *Joanne Spangenberg* in carmen teutonicum, ab illo cantico separatum, conversum est: **Groß und heer** (1568 apud *Cyriacum* filium: Herr) **iſt Gottes Nam**, quod in nonnullis libris seculi XVI legitur, post negligitur, quod dolendum est.

36) **Mittit ad virginem.** Dan. II, 49. 5, 127. Hanc sequentiam fratres Bohemi in nostrum sermonem verterunt: **Als der gütige Gott vollenden wolt** (*Wackern.* No. 383), quam versionem ad mediam usque seculi XVII in nonnullis libris reperi.

37) **Nobis natus est hodie de pura virgine.** Dan. IV, 216. *Joannis Matthesii* versionem huius cantici **Geborn iſt uns der heilig Chriſt** in nullo libro praeter Norimbergensem (priorum editionum), a Wackernagelio laudatum (No. 482) reperi; editio anni 1626 eam eliminavit.

38) **Nunc angelorum gloria.** Dan. I, 328. *Nicolai Hermanni* versio **Heut ſind die lieben Engelein** in libris non multis quidem legitur, sed per seculum XVII inter carmina satis vulgata est numeranda. Habet eam *Crügeri* Praxis piet. melica, quae inter vetera carmina non nisi vulgatissima praebet, ut crediderim, hanc cantilenam saepius etiam in libris legi, quam ego eam reperire potuerim. Circa initum sec. XVIII e libris removetur, sed in libris quamvis paucis, lustro etiam decimo quarto huius seculi legitur, ut in hymnario Sleusingensi a. 1776, et ita quidem, ut conjuncta cum veteri cantilena Den die Hirten lobten ſehre in responsorii formam redacta sit. Alia versio est *Valentini Trilleri*: **Es iſt der Engel Herrlichkeit**, ignota fere ecclesiae, idque immerito. *Mützelii* Geiſtl. L. I, No. 177.

39) **O lux beata trinitas.** Hymnus vespertinus Ambrosianus, in ecclesia usu celebratissimus (*Daniel* I, 36. cf. 276. IV, 47), in nostris libris nostroque cantu (maxime scholarum) usitatissimus ad medium sec. XVIII usque, et a Luthero in nostrum sermonem

versus: **Der du biſt drei in Einigkeit,** quae versio eo demum tempore, quo doctrina de trinitate risui facta est et contemtui, e libris ejecta est. **O Licht heilig Dreifaltigkeit,** *Michaelis Weisse*, versio a permultis Nostrorum libris est recepta et in libro Hanoverano ad hunc diem servata; multi eam ejecerunt sub a. 1740. **O göttliche Dreifaltigkeit** ejusdem Weissii versio in nonnullis libris (ut Norimbergensibus, Hassiacis, Saxonicis), post annum 1740 in uno tantum, quod ego scio, Dresdensi, reperitur. Aliae etiam extant versiones: **O du leuchtend Dreifaltigkeit** *Ambrosii Lobwasser*, in paucos libros recepta et per breve temporis spatium servata; — **Es iſt ein Gott von Ewigkeit** ejusdem *Lobwasseri*, vix diutius quam ad a. 1630 servata; — **O heilige Dreifaltigkeit o hochgelobte Einigkeit,** imitatio *Martini Bohemi*, apud Nostros vulgatissima; — **O heilige Dreifaltigkeit wer kann dich doch ergründen** imitatio *Beniaminis Schmolkii*, a multis libris, qui annis 1735—1740 componebantur, recepta.

40) **Omnis mundus iucundetur.** Hanc cantilenam seculi XIV, publico usui non destinatam, imitati sunt *Joannes Spangenberg* **Alle Welt ſpringe** et *Nicolaus Hermann* **Seid frölich und jubiliert,** sed in hymnariis publicis neutram imitationem reperi.

41) **Pange lingua gloriosi corporis mysterium.** Thomae Aquinatis hymnum de S. Coena (*Daniel* 1, 251) imitata est jam seculo XV cantilena: **Mein Zung erkling und frölich ſing,** quam Nostri receperunt et in libris non paucis per sec. XVI et partem seculi XVII servarunt; in libro: 847 Geiſtliche Pſalmen Nürnberg 1626 p. 531 eam ultimo ego reperi. Aliae imitationes sunt: **Wir dankſagen dir** (*Wackern.* No. 665); **O Gott Vater im Himmels Throne** (in libro modo laudato Norimbergensi p. 542), quae raro occurrere legentibus, cantui publico vix unquam aut certe non per longum tempus inservisse videntur.

42) **Parvulus nobis nascitur.** *Dan.* I, 333. *Wackern.* No. 61 (p. 35). **Uns iſt ein Kindlein heut geborn,** imitatio non spernenda per secula XVII et XVIII in multis libris reperitur. Paulo immutatam, deleta glorificatione in stropharum clausula, habet eam *Crügerus* in Praxi piet. mel. 1680. No. 145. p. 176 unde plures libri cantilenam hauserunt ut *Herrichii* Engl. Singſchule 1717. No. 101 et alii. Genuinam formam praebet hymnarium Norimbergense a. 1626, Wetflariense 1674, Ramholdense 1737, Saxonicum 1767. Variatam formam, cuius auctoris, nescio, praebet *Herrichii* liber modo laudatus (hymnarium Schemnitense) No. 102. Cf. *Mützelii* Geiſtl. L. III, No. 180.

43) **Patris sapientia.** *Dan.* I, 337. IV, 223. Hunc hymnum, horas passionis dominicae (simul horas canonicas) indicantem Michael Weisse, frater Bohemus, in nostrum sermonem transtulit: **Chriſtus der uns ſelig macht,** qua versione horas accurate sequitur, et Nostri usi sunt per tria fere secula in omnibus libris, omnibus ecclesiis. Multa etiam alia carmina de passione Domini ad metrum et melodiam dulcissimam huius hymni accommodata sunt, ut vulgatissimum *Pauli Stockmann* († 1636) **Jeſu Leiden Pein und Tod** (cui propria melodia data est, sed non a M. Vulpio Vimarensi † 1616); — *Sigmundi Betulii*

Jeſu deine Paſſion in multis libris ab a. 1672—1770 obvium; — *Henrici Heidii* **Jeſu meiner Seelen Licht,** inter pauca carmina, quae ex antiquo tempore fidei originem ducentia, excidium annorum 1770—1790 superarunt et hodie etiam, mutatae quidem, sed leniter, apud Nostros canuntur; — *Pauli Gerhardi* **Siehe mein geliebter Knecht,** aliae. Versiones Chriſtus der uns ſelig macht et Jeſu Leiden Pein und Tod in catholicos libros receptae sunt.

44) **Puer natus est nobis.** Introitus in festo nativitatis Domini, apud *Briesmannum* Riganum (1537) et alios eius temporis et latine et versus in nostrum sermonem legitur: **Ein Kind iſt uns geborn,** in utraque forma veteri melodia instructus. Ab initio sec. XVII haud amplius eum reperi.

45) **Puer natus in Bethlehem, unde gaudet Jerusalem, assumpsit carnem hominis, Verbum patris altissimi, per Gabrielem nuntium, verbum concepit filium.** Haec cantilena trium stropharum in *Cyriaci Spangenberg* Chriſtlichs Geſangbüchlein 1568. No. XXIX legitur, et paucis locis discrepans (ut *virgo* pro *verbum*) in aliis etiam libris usque ad finem seculi XVII (in hymnario Wetflarensi 1674. p. 21). Haec forma cantilenae vetusta esse videtur cf. *Hoffmann* d. Kirchenlied ed. II. p. 340. Versio germanica incipit: **Ein Kind geborn zu Bethlehem, des freuet ſich Jeruſalem, das Wort des Vaters in Ewigkeit hat angenommen unſer armes Fleiſch; durch Kraft des heilgen Geiſtes groß Maria die Jungfrau ſchwanger ward** (Hymn. Wetfl. l. c.).

46) **Puer natus in Bethlehem unde gaudet Jerusalem. Hic jacet in praesepio.** Duae huius cantilenae satis vetustae sunt versiones vetustae et ipsae: 1) **Ein Kind geborn zu Bethlehem, Bethlehem, des freuet ſich Jeruſalem. Hie liegt es in dem Krippelein.** Haec versio cum latina cantilena in omnibus libris nostris legitur, et in longe plurimis ad a. 1770 usque servatae sunt ambae, ita ut hoc carmen latinum unum inter omnia ad extremum apud nos restiterit. Omittunt tamen nonnulli libri initio seculi XVIII ut Hamburgensis a. 1700 bovem et asinum. Cf. Daniel I, 333.

2) **Uns iſt geborn ein Kindelein von Maria der Jungfrau rein. Des Namen heißt Emanuel.** *Wackern.* No. 686. In permultis libris legitur: in hymnario Francofurtensi 1569; Norimbergensi (1607. 1626.), Wetflarensi 1674, Saxonico 1767, Sleusingensi 1776 et aliis.

47) **Puer nobis nascitur, rector angelorum.** Hanc cantilenam, quamvis vetustam, ut videtur, non reperio. Versio eius germanica extat *Joannis Spangenberg* in filii *Cyriaci* libello No. 28: **Uns iſt geborn ein Kindelein von einer Jungfrau reine, Maria iſt die Mutter ſein, ſein Vater Gott alleine.**

48) **Quem pastores laudavere.** *Dan.* I, 330. *Hoffmann* Gesch. des d. Kirchenl. Ed. II. p. 343. Versionem satis vetustam **Den die Hirten lobten ſehre** (*Wackern.* p. 93) et nostri libri, quamvis non ita multi, habent, et qui unquam eam habuerunt, tenent ad annum 1740 (ut hymnarium Dresdense) imo 1776 usque (ut hymnarium Sleusingense).

Ceterum cantilenae forma qua Nostri sunt usi, discrepat ab ea, quae legitur in libro Wackernagelii.

49) **Qui solis accendis faces.** Hymnus ad sextam, cuius versiones duas reperi, non in multis libris obvias: **Der heller leuchtet als die Sonn** *Ambrosii Lobwasser*, et **O lieber Heiland Jesu Christ.**

50) **Quod chorus vatum venerandus olim.** (Dan. I, 242. IV, 176. 371). Et huic hymno vertendo non defuit *Ambrosius Lobwasser:* **Was uns etwan die heiligen Propheten.**

51) **Regina coeli jubila.** Dan. II, 319. 365. Duae extant non versiones sed imitationes huius cantilenae: **Freu dich du heilge Christenheit,** cuius auctor *E. Alberus* fertur in libro Kirchengesäng. Frankf. 1569. fol. 85^{b}, et **Der Köninck in dem Hemmele** *Wackern.* No. 671.

52) **Rerum creator optime.** Dan. I, 53. IV, 37. Versio est **Der Herr und Schöpfer aller Ding,** quam *Andreae Knöpkenii* esse ferunt, ego autem in Briesmanni liturgia Rigana non reperio.

53) **Rerum Deus.** Antiquissimum carmen, ad Nonam (Dan. I, 52), nostro sermone quin donaret, *Ambrosius Lobwasser* a se impetrare non potuit: **O du Erhalter Gott und Herr.**

54) **Resonet in laudibus.** Hoc canticum suavissimum de nativitate Domini (Dan. I, 327. IV, 252) per totum seculum XVII in nostris libris legitur, et plures ejus extant et versiones et imitationes: **Wir loben all das Kindelein** (Wackern. No. 426); — **Nun ist es Zeit zu singen hell; — Singt dem Herrn ein neues Lied; — O Jesu liebes Herrlein mein** (Wack. No. 478). Tres priores per totum sec. XVII a nonnullis libris servantur.

55) **Rex Christe factor omnium.** Dan. I, 180. IV, 176. Canticum de passione Domini, apud alios de S. Coena. Versiones sunt: **König Christe Schöpfer aller Ding** *Thomae Münzeri* (in libro saepius laudato fol. E^{b}); — **Koninck Christe God des vaders wort** in *Briesmanni* liturgia Rigana fol. 95^{b}; — **O Christe Schöpfer aller Ding** *Joannis Spangenberg* (in filii Cyriaci libro No. XLIX); — **O König und Schöpfer Jesu Christ** in hymnario Norimbergensi 1626 et in aliis libris; — **O Herr und Schöpfer Jesu Christ** *Ambrosii Lobwasser;* — **Herr Christ du Schöpfer aller Ding** (Welt) *Melchioris Bischoff.* Post medium sec. XVII horum carminum nullum in libris nostris me legisse memini, praeter Bischoffii, quod sub initium sec. XVIII adhuc in paucis libris reperitur.

56) **Salve festa dies.** Dan. I, 169 sq. Vetustissimam versionem partis huius hymni paschalis **Also heilig ist der Tag** plurimi libri nostri et habent et tenent donec ipsi pereunt. Praeter hanc versionem apud Nostros usu venerunt aliae etiam, non ita vul-

gatae: **Sei gegrüßt du heiliger Tag** *Joannis Spangenberg;* — **Willkommen ſei die frölich Zeit** *Ambrosii Lobwasser;* — **Freut euch heute alle gleich** fratrum Bohemorum (Wack. No. 378).

57) **Sanctus.** In liturgiis nostris servatur haec cantio, raro in hymnariis, quod dolendum; vix unum alterumve librum vidi, post medium seculum XVII typis expressum, qui hunc cantum praeberet. Ceterum a Luthero cantionem Sanctus redditam esse cantione **Jeſaia dem Propheten das geſchach**, quam nostri libri pie coluerunt, et a *Nicolao Decio* cantione **Heilig iſt Gott der Vater**, quam initio seculi XVIII vix usquam reperio, notissimum est.

58) **Spiritus sancti adsit nobis gratia.** Haec sequentia ad festum Pentecostes per seculum XVI et partem seculi XVII a nobis cantabatur, et etiam versio **Nu komm, werter heiliger Geiſt** (*Wackern.* No. 672).

59) **Spiritus sancti gratia.** Dan. I, 343. Hunc hymnum in spiritum sanctum de donatione linguarum Nostri in libris suis ad annum 1770 usque et ultra servarunt (vide hymnaria saxonica a. 1740, 1767 etc.). Duae sunt versiones seculi XVI: **Des heilgen Geiſtes rechte** (reiche) **Gnad** cuius auctorem *Joannem Leonem*, Thuringum, ferunt et **Der heilge Geiſt hernieder kam**, quarum prior inter vulgatissimas nostras cantiones numeranda est; sunt tamen libri, qui eam jam initio seculi XVIII ejecerint ut Hildesheimensis et alii. Una est seculi XVII: **Des heilgen Geiſtes Gnade groß.**

60) **Summi triumphum regis.** Dan. II, 15. V, 65. Sequentia de Ascensione Domini. Fratrum Bohemorum versio: **Nu lob wir heut alleſamt** a nobis per seculum XVI cantabatur; post e libris removebatur.

61) **Surrexit Christus Dominus.** Est variatio laudationis proxime sequentis: Surrexit Christus hodie, et eius versio: **Erſtanden iſt der Herre Chriſt, der aller Welt ein Heiland iſt, das zeugen uns die Engel fein die den Frauen erſchienen ſein** per magnam seculi XVII partem reperitur.

62) **Surrexit Christus hodie.** Dan. I, 341. IV, 232. Reperitur haec laudatio in nostris libris etiam annorum 1760 et ultra, ut in saxonicis fere omnibus, cum versionibus: **Erſtanden iſt der heilig Chriſt, der aller Welt ein Heiland iſt, der nun den Tod erlitten hat;** — **Erſtanden iſt der heilig Chriſt, der aller Welt ein Tröſter iſt, und wär er nicht erſtanden, ſo wär die Welt vergangen.**

63) **Veni Creator Spiritus.** Dan. I, 213. IV, 124. Caroli Magni imperatoris hymnus, in libris nostris servatus usque ad initium seculi XVII, in nonnullis usque ad exitum huius seculi (1780), in nostrum sermonem a Luthero conversus etiamnum cantatur, quamvis corruptus, et nostra demum aetate in Lutheri Carminis formam restitutus est: **Komm Gott Schöpfer heiliger Geiſt.** Alia est versio *Thomae Münzeri:* **Kumm zu uns Schöpfer heiliger Geiſt,** et alia etiam incerti auctoris **Komm heiliger Geiſt Gott Schöpfer** (*Wackern.* No. 660), quas a Nostris vix in unum librum vel duos receptas esse video.

64) **Veni redemtor gentium.** Dan. I, 12. IV, 4. 353. Hunc Ambrosii hymnum Lutherus in nostrum sermonem vertit: **Nun komm der Heiden Heiland.** Ante Lutherum Thomas Münzer eum vertit: **O Herr Erlöser alles Volks,** post Lutherum *Joannes Frankius* in bono carmine **Komm Himmelsfürst komm Wunderheld,** apud Nostros satis vulgato, et alii recentiores. Metro accommodatum est et quasi imitatio huius hymni carmen fratrum Bohemorum, per longum satis tempus a Nostris usitatum: **Von Adam her so lange Zeit.**

65) **Veni sancte spiritus et emitte coelitus.** Dan. II, 35. V, 69. Non ita multa Nostrorum hymnaria latina verba Roberti regis reddunt, sunt tamen nonnulli, qui ea initio seculi XVIII adhuc proferant, ut Hildesheimense a. 1717, No. 1434. In nostrum sermonem versus est hymnus a *Michaele Weissio*: **Heiliger Geist Herre Gott,** quam versionem in paucos libros seculi XVI receptam video; et a *Martino Bohemo*: **Komm heiliger Geist mit Wonn,** quae cantio in perpaucis libris legitur v. *Mützelii* Geistl. L. III. No. 430.

66) **Veni sancte spiritus reple tuorum.** De hac antiphonia vetusta, cuius auctor Robertus rex circumferebatur, confer *Danielem* II, 315. Per longum tempus a Nostris latina etiam verba sunt cantata, maxime in scholis; leguntur in nonnullis libris sub initium seculi XVIII ut in Isenacensi a. 1722. Versionem, qua nunc in ecclesia utimur **Komm heiliger Geist erfüll die Herzen,** primum reperio in libro Deutzsch kirchenampt etc. Erfurt s. a. (vide Wackernagelii Bibliographie No. CCCXC), quem a. 1540 circiter typis expressum censeo. Permulta hymnaria seculi XVI, imo ineuntis XVII, hanc versionem non habent, ut Francofurtensia 1569, 1570, Norimbergensia (1603. 1607. 1627). Similem, sed non eandem versionem habet Joannes Spangenberg, prorsus diversas duas Hymnarium Francofurtense 1569. *Lutheri* versio strophica: **Komm heiliger Geist Herre Gott** notissima. Imitationem *Ambrosii Blaurer*: **Kum mit Güte heilger Geist** habes apud Wackernagelium No. 573.

67) **Verbum supernum prodiens.** Dan. I, 77. Hymnus Ambrosianus de adventu Domini ab Ambrosio Lobwasser, et non male, in nostrum sermonem versus est: **Du Wort hoch aus des Himmels Thron.**

68) **Vexilla regis prodeunt.** Dan. I, 160. IV, 70. *Michaelis Weissii* imitatio: **Die Propheten haben prophecei** in nostris libris seculi XVI et XVII fere omnibus legitur. Rarius, sed ad a. 1650 usque circiter occurrit versio incerti auctoris: **Des Königs Panier gehen herfür.**

69) **Victimae paschali laudes.** Sequentia Paschalis, cujus plures versiones seculi XVI extant, sed vix ad medium sec. XVII a nostris libris retentae sunt: **Singen wir frölich allesamt** fratrum Bohemorum (Wackern. No. 385) praeter hymnaria Francofurtensia eosque libros qui ex iis hauserunt, non reperio; imitationes **Christo dem Osterlämmelein** *Nicolai Hermanni* (Wackern. No. 490) et **Heut sollen alle Christen loben**

Cyriaci Spangenberg, magis vulgatae sunt; Hermanni carmen in paucis libris initio seculi XVIII adhuc reperitur.

70) **Vita Sanctorum.** Daniel I, 238. 269. Versio satis vulgata **Der Heilgen Leben thut ſtets nach Gott ſtreben**, quam *Wackernagel* No. 422 Joanni Spangenberg auctori tribuit, in *Thomae Münzeri* Deutzſch kirchenampt fol. Sa legitur; Spangenbergium igitur auctorem esse, credi non potest. Alia etiam extat versio sive potius imitatio: **Herr Chriſt des Lebens Quell**, minus vulgata, sub finem sec. XVI orta.

71) **Vox clara ecce intonat.** Dan. I, 76. IV, 134. **Ein laute Stimm vom Himmel klingt** est huius hymni Ambrosiani versio *Ambrosii Lobwasser*, non inepta, sed quae in paucis tantum libris legitur.

ML 88.57
Spicilegium hymnologicum,
Widener Library 006833670
3 2044 088 817 648